



~~G. M. S.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-73.

SIGNAT. CCCXIII.

35

עמִ—אלְחִיבָּתִים  
EXERCITATIONUM LOGI-  
CARUM I.

*De*  
Definitione & Di-  
visione Logicæ,

*Quam*  
In Electorali VVittebergensi Academia,  
publico Eruditorum Examini

*subjiciunt*

P R A E S E S

M. ESAIAS VICCIUS,

ET RESPONDENS

CASPAR Hahn /

Vratislaviâ Silesii.


In Auditorio Minori

Ad diem 26. Martii Anno 1659.

Horis matutinis.



VVITTEBERGÆ,  
LITERIS JOHANNIS HÄKEN.



I. N. J.

**D**aduchus Ille Philosophorum Aristoteles, cum in concin-  
nandis Logicæ operibus omnem impenderet operam atque oleum  
omne, irritum & frustraneū existimavit, si in ipso disciplino Ve-  
stibulo à definitione & divisione ejus sumeret exordium. Hinc to-  
tus Ramistarum Chorus cornua Ipsi obvertunt, miris-  
que modis de imperfectione Organii Aristotelici con-  
queruntur. E contrario autem ultra solis lunæque vi-  
as clevandum esse Ramum putant, quod disciplina-  
rum definitiones studio pertinaci dissentium menti-  
bus subinde inculcarit. Hoc ut obtineant Rami secta-  
tores, Ciceronis auctoritate se munire conantur, qui  
L.I. Offic. præcipit, quod omnis, quæ à recta ratione  
suscepitur institutio, à definitione debeat proficisci, ut  
intelligatur, quid res sit, de qua disputatur. Verum  
enim vero quiescant paululum debacchari in manes  
Aristotelis: non ita ab omni ratione alienus fuit  
Princeps Philosophorum: non absque gravi de caus-  
sa à re statim exorsus est. Nosse n. debebant pri⁹ de fun-  
damento & causa omissæ proœmialis doctrinæ, quam  
plenis, quod dicitur buccis, in Eundem inveheren-  
tur. Omissa autem ab Aristotele hæc doctrina est, par-  
tim, quia Ipsi propositum fuit talem edere fœtum,  
qualcm lux humana nunquam adspexerat; hinc de-

cojudicium ferre non potuit, qualis enim futurus es-  
set, Ipsi exactè non constabat: partim, quia suscep-  
rat ipsa Logices opera formare, non vero essentiam  
Logicæ definitione explicare. Ex Ciceronis Phare-  
tra quod producunt telum levioris armaturæ nobis  
est, siquidem in loco citato non de essentiali aliqua  
definitione Cicero sermocinatur, nisi Ipsum incon-  
stantiæ accusare velis & temeritatis, utpote qui legis  
à se promulgatæ Ipse non vixerit observantissimus;  
sed de nominali vocabuli declaratione. Et hanc i-  
psius mentem fuisse, suo exemplo comprobat, quia a-  
eturus de officiis, dicit, se nolle essentialē præmit-  
tere definitionem; sed vocabuli saltem æquivocatio-  
nem. Nos igitur aliquot Exercitationes logicas im-  
posterum, divinâ adspirante gratiâ, publici juris fa-  
cturi, præsentem de Definitione & Divisione inscri-  
psimus, non ut Ramistis adstipulemur; aut hanc do-  
ctrinam ita disciplinæ necessariam esse existimemus,  
ut absque eadem manca sit & mutila: quin potius ad  
docilitatem discentis nostrum collimat institutum,  
quo ille aliquem prægustum subsecuturæ tractationis  
ex eadem percipiat, & ad subsequentia animum præ-  
paret. Et hoc fine etiam Plerique ex Philosophis, ut,  
quod obscurè aut confusè ab aliis dictum est, clarius  
proponant, atque intellectum studiosæ Juventutis fa-  
cilitent, nonnulla in frontispicio de habitus natura &  
constitutione præmiserunt. Quorum Vestigiis dum  
in præsenti insistimus, ante omnia divinum implora-  
mus Numen, quo Spiritus Sancti Ὅραστει nostris  
adesse conatibus velit, ut vergant ad nominis divini  
Gloriam, nostrumque emolumentum. Sit igitur E-  
xercitationum Logicarum.

Proœ-

# Proœmium , De Definitione & Divisione Logicæ.

## Præcepta.

- I. Logica est habitus tradens modum discurrendi de re quavis, ut verū à falso exactè discerni possit.
- II. Dividitur in partem Communem & Propriam.
- III. Communis est, quæ agit de forma syllogismi, quomodo idem in forma legitimus esse debeat, ut ad omnem argumentationem, sive in materia sit necessaria sive in probabili, sive in sophistica, applicari possit.
- IV. Propria & specialis est, quæ agit de materia syllogismi, hoc est, considerat propositiones syllogismi secundum conditiones materiales, an scilicet verae, an falsæ, an necessariae aut probabiles sint.

## Explicatio.

### Ad Præceptum I.

§. 1. Vocabulum Logicæ origine græcum est, & quidem adjectivum significans idem quod rationalis, scilicet disciplina. Dicta est δῆλος à ratione. Cum vero alioquin hic λόγος alius sit ἐρδίαθετος s. internus; alius τερψφωνος s. externus, logica cum priori majorem cognitionem habet, quippe qui eidem essentialis, non vero externus. Absque hoc enim Logicum esse posse constat, tum exemplo muti cui natura sermonem hunc externum denegavit; tum ex nobis met ipsis, qui optimum in forma syllogismum formare possumus etiamsi nullum ad extra verbum proferamus.

§. 2. Per Logicam autem hoc loco non intelligimus naturalem, quæ est potentia naturæ insita, in secunda specie qualitatis. Hæc non scripta sed nata vis est, quam non didicimus, legimus; verum à natura matre arripuimus, hausimus,

A 3

mus,

mus, expressimus: ac quam non docti; sed facti; non instituti; sed imbuti sumus docente B. Jac. Mart. Instit. Log. p. 4. Neque usualem quæ per usum & exempla varia addiscitur, & ab artificiali tanquam imperfectum differt à perfecto; tanquam dispositio ab habitu; sed ipsam ~~τύπον~~ sive artificialem. Ista vero cum iterum alia sit archetypa habitus in mente hominis existens; alia ectypa, videlicet systematica vulgo dicta, per voces & literas tanquam ~~εμοιώματα τῶν νομάτων~~ adumbrata; priorem intelligimus non posteriorem.

§. 3. Dicitur hæc alias Dialectica. Quod vocabulum si primam ejus impositionem respicias, denotat colloquium de rebus probabilibus: & ubi ~~αρχαιοτέρους~~ subest, inter duos institutum, in quo significatu uni tantum logicæ parti, quæ topica alias dicitur, competit. Deslexit tamen dehinc usurpatio hujus vocis à prima impositione, & non tantum ad aliquam Logicæ partem; sed integrum quoque habitum denominandum hodiè adhibetur. Conferatur Excellentiss. Dn. D. Scharffius; Instit. Log. p. 41-42.

§. 4. Genus Logicæ fecimus habitum. Cum enim illæ mentis accidens sit, proinde in aliqua accidentium categoria collocetur necesse est. Non autem ad quantitatem spectat, quia non notat perfectionem, quæ homini juxta externam extensionem conveniret. Neque ad relationem, esse enim habet absolutum, & non in solo respectu, sive coexistentia correlati, fundatum. Neque ad ullum aliud, quam qualitatis prædicamentum, & primam ejus speciem, habitum nempe, referri potest, quod evictum damus hoc argumento: A quocunque denominamur Logici illud est habitus. A Logica denominamur Logici, E. erit habitus.

§. 5. Differentia Logicæ desumitur io. ab officio Logicæ, quod his verbis: tradere modum discurrendi explicatur. Distinguitur autem hoc ipso à disciplinis realibus. Illæ n. mentem ipsam informant, conceptuum realium cognitione eam imbuendo: hæc mentis discursum regit, conceptuū realium cognitioni quadam facilitate succurrendo. Illæ discurrunt; hæc tradit modum discurrendi. Illæ sunt scientiæ, hæc

hæc est modus sciendi. Eâ propter etiam vocatur τρόπος οὐ-  
τίπους non επισήμην: quo modo postmodum utitur Philosophus, vel Theologus, vel Medicus vel Jurisperitus, & juxta illum pensitat res tractandas, atq; examinat.

§. 6. Deinde mentionem quoq; facimus objecti, cuius more aliarum disciplinarum constituimus; 1. ὑλὴν, materiale & rem consideratam quæ est omne Ens: 2. ἐδικὴν, formale, quod est ratio sub qua & secundum quam res hic considerantur, nempe quatenus notionibus secundis substant. Non igitur pensitamus eas quoad τὸ θεωρεῖν secundum veritatem essentialē quæ in ipsis datur; sed quoad τὸ κατηγορεῖν, quatenus notionibus secundis imbutæ ad prædicationem aptæ sunt.

§. 7. Ultimò finem Logicæ assignamus, qui est veri à falso discretio. Non autem Logica indagat veritatem primario; sed instrumentaliter. Nam in veri constitutione νέον ζήτων est animus, sive Intellectus hominis; sed τυχάτιον est Logica, hujus n. beneficio veritatem in Democriti puteo latentem indefesso studio eruimus, & tandem invenimus.

§. 8. Communiter duplēm Logicæ finem statuunt: aliud internum, qui de essentia artis est & semper obtinetur, estque syllogismus, nobilissimum Logicæ instrumentum, quia ad eundem omnia in logicis referuntur & ordinantur: aliud externum, qui quodammodo extra essentiam artis est, neque semper obtinetur. Hunc dicunt esse cognitionem veritatis, seu veri à falso discretiōnē. Verum autem à falso discernimus, quando rem competente forma, & ex medio ad æquato probamus & tandem ordine proponimus, ut explicat Clarissimus Gutkius Synops. Log. Div. p. 30.

### Ad Præceptū II. III. & IV.

§. 9. Fundamentū hūjus Divisionis nobis præbet finis Logicæ internus, ad quem tanquam centrum omnia diriguntur. Hic autem duplī potissimum respectu nostro se insinuat intellectui: partim abstractè & formaliter, in nuda

con-

conformitate dispositionis terminorum & propositionum cum regulis logicis: Inde emergit pars logicæ generalis: partim concretè & materialiter; quatenus vel eum materia necessaria; vel contingente aut speciem veri habente concrescit. Exinde habemus partem Logicæ specialem. Duplicem hanc logicæ partem, à syllogismo tanquam fine primario desumptā Ipse inter alia innuere voluit Aristoteles, dicendo: quod syllogismus alius concludat εξ ἀναγκῆς s. necessitate formæ, consequentiæ, & hic spectat ad partem generalem: Alius εξ ἀναγκαῖων seu necessariis propositionibus, qui ad partem specialem referendus. Hactenùs dedimus præcepta cum annexa eorum explicatione; restat ut controversias circa proximum logicæ occurrentes sub disquisitionis incudem revoemus. Quod ipsum ut εὐμεδόδος fiat, libet easdem certis includere positionibus.

### *Positio Ima.*

## Logica Philosophiæ Pars dicenda non est. Expositio atque Dispositio.

per 1. Distinctiones.

Cum Confusio omnium Mater errorum sit; Ordo vero doctrinæ anima & optimum proficiendi medium, ad sensum nostræ controversiæ felicius & velocius investigandum.

D. I. Ex parte subjecti inter logicam docentem: & utentem. Vulgaris quidem hæc Distinctio est; sed variè à Variis explicatur. Nos docentem vocamus, Logicam in Idea & in actu signato spectatam: utentem vero, quæ in applicatiōne consistit, & cum certa materia conjungitur, sive concrescit. Ita vero distinguimus in gratiam Academicorum, qui Logicam docentem instrumentum; utentem autem Philosophiæ partem dixerunt. At divisio hæc logicæ non est essentialis; sed diversus saltem unius ejusdemque rei respectus. Logica docens & utens una eademque ars est, licet diverso respectu sit docens & utens. Rem melius explicare vix possumus,

mus, quam si Logicam docentem Rhetori: utentem vero Oratoris, in aliqua proportione cum Pacio respondere dicamus.

D. 2. Inter Philosophiae vocabulum sumtum in laxiori significationis licentia pro omni doctrina ad perfectionem hominis accidentalem pertinente, sic etiam mechanica ars dicitur sophia, ut constat ex L. Eth. c. 7: latè, pro comprehensione illarum disciplinarum, quæ à tribus facultatibus superioribus distinguntur, qua ratione etiam disciplinæ instrumentales includuntur; quæ tamen utilitates in se terminatas non habent: strictissime, ubi iterum accipitur vel pro sola metaphysica ex Lib. 4. metaph. c. 2, circa idem genus versatur sophistica & dialectica, & Philosophia: vel pro Metaphysica & physica: hoc modo dicit Aristoteles L. I. metaph. c. 4<sup>c</sup> tot esse partes Philosophiae, quot sunt genera substantiarum: vel pro sola Philosophia practica, sic Plato dixit in Phœdone Philosophiam esse meditationem mortis: & strictè magisqne accuratè pro tali habitu, qui constat sapientiâ & prudentiâ. Ista in præsenti nobis Philosophiae potestas est. Frustra igitur quidam ex tam lata vocabuli Philosophiae significatione Logicam ejus partem esse colligunt. Impropria enim hæc vocis potestas est non accurata. Philosophi vero est ἀριθμογενής οὐ μὴ εἰ ταχόδη τὸ λόγος σπάχεσθαι, ut docet Philosophus. L. 3. de cœlo c. 8. t. 68.

D. 3. Inter Philosophiae instrumentum: & ejus partem. Ab illo ad hanc colligere velle est ex arena funiculos necere. Hæc enim inter principales debet referri habitus & non servire alterius commodis; sed habere utilitates in se terminatas: Instrumentum vero Philosophiae servitutem servit nobilem, in se ipso nullam habens utilitatem.

D. 4. Inter id quod facit ad Philosophiae érat seu esse simpliciter: & quod tantum τὸ εὖ εἴραται conducit, ad bene esse. Logica ad esse Philosophiae non spectat, quippe quæ salva & integra esse potest, etiamsi logica ad integratam non concurrat: Interim ad bene esse eandem facere non imus inficias. Quéadmodū absq; malleo ars quidē fabrilis es-

B.

se pot-

Te potest, interim ut eadem exerceatur malleo opus est: ita non minus disciplinæ philosophicæ in se satis perfectæ sibiq; sufficientes sunt, interim ut nos istarum cognitionem, animo imbibamus felicius hac directrice opus est.

## 2. Rationes.

Logicam Philosophiæ partem dici non posse probamus.

1. A naturâ partis logicæ in ordine ad Philosophiam non competente. Concludimus igitur h. m. Cujuscunque accessus totum non integrat, neque decessus illud mutilat, id pro totius parte haberi nequit. At Logicæ ad Philosophiam accessus id præstat &c. Ergo. Majorem probat ipsa partis definitio, quæ hoc vult, ut partium præsentia totum perficiatur, ipsarum vero absentia totum mutiletur. At neutrum de logica dici potest. Non prius, quia Logica ut instrumentum inservit Philosophiæ juxta essentiam jam constitutæ. Nō posterius, quia, cum duæ sint Philosophiæ partes speculativa & Practica, neutri ex ipsius logicæ absentia aliquid decadit: non speculativæ, neque enim est vel Metaphysica; vel Mathefis, vel Physica aut alijs ex habitus Theoreticis. Non practicæ, esset enim vel Ethica, Politica aut Oeconomica. Ast neutrum est. Ergo relinquitur, cum hæ discipline omnes tanquam dominæ salvæ & integræ esse possint, etiamsi ancilla hujus opera non accedat, Logicam Philosophiæ partem non esse.

2. A natura instrumenti: Quodcunque est instrumentum & propter aliud inventum, illud non est ejus pars, propter quod est inventum. At Logica est instrumentum Philosophiæ, & propter hanc etiam inventa. Ergo ipsius pars dici non debet. Notata digna sunt verba D. Jac. Martini vñ ev dñios in Inst. Log. Proæmio p. II. ita de hac ipsa re loquentis: Logicæ ejusmodi res, noemata nimirum secunda, tractat, quæ si ad alios habitus acquirendos non conducerent, non digna essent, ut à nobis vel cognoscerentur vel excoarentur.

3. Ab Autoritate Diogenis Laertii l. 5. in vita Aristoteles, ubi facta Philosophiæ in theoreticam & practicam di-

visiō-

visione hæc tandem subjicit ; τὸ λογικὸν ἔχ οὐρανός, ἀλλ' ὡς  
ἔγγραφον περιηγεῖται βαμένον, id est Logica non est Philosophiæ pars,  
ceu totius, sed velut exactissimum instrumentum , ut verba  
hæc interpretatur Insignis ille, quondam Theologus Lipsi-  
ensis, Henricus Höpfnerus, in commentario suo Log. super  
Organon Arist. πορίσματι 4to περὶ γομένων p.m. 26.

### Opposito.

I. Academicorum Logicam instrumentum pariter ac Philosophiæ partem esse pro diverso tamen respectu dicentium. Conferatur de illorum sententia jam citatus Höpfnerus loco allegato.

II. Stoicorum, Plutarchi, Ciceronis aliorumque Logicæ, tertium inter Philosophiæ partes, locum assignantium. Videatur Bartholinus in Janit. Log. Ian. i. theorem. 2. §. 77. Nos hanc controversiam verbis Excellentissimi nostri Scharffij ita de hac re discurrentis concludimus : Errant, qui Logicam Philosophiæ partem propriè sic dictam statuunt : Logica est ancilla Philosophiæ, famulitum prestans eximum, non ejus pars. Logica se diffundit per totam Philosophiam, & aequè latè patet. atq; illa: Imò usus logicæ extendit se ultra Philosophiæ mœnia ad alias superiores facultates. Quomodo igitur pars Philosophiæ esse poterit. Vide eundem in præcognitis de Philos. in genere p. 5. seqq.

### Positio IIda.

Genuinū Logicæ Genus scientia esse nequit.

### Expositio atq; Dispositio.

per i. Distinctiones.

Bene & sapienter inquit Clarissimus Philosophus Dannhavverus, se existimare non tam pro Hellenis à Græcis fuisse disceptatum, quam pro genere logicæ πολυκεφαλοί Logicorum vulgo. Tot enim ferè de hoc Ipsi sunt sententiæ, quot capita. Nos ad formandum controversia statum.

B. 2

i. D. Inter

1. D. inter acceptiōnēm vocabuli scientiæ extotericam  
& vulgarem, prout in laxiori dictionis licentia opponitur i-  
gnorantiæ, & quamcunque notat cognitionem, ubi logicam  
scientiæ nomine venire posse non repugnamus: & acroama-  
ticam, pro cognitione conclusionum apodicticarum, quo  
in significatu negamus quæsitum.

2. D. inter aliquam certitudinem & necessitatem præ-  
ceptorum, regularum, axiomatum quam in logicis dari non  
inficiamur, e. gr. quando dicitur, quod omnis syllogismus  
procedens ex probabilibus generet opinionem: quod omnis  
discursus procedens ex veris, necessariis, primis & immedia-  
tis parat scientiam &c. & necessitatem rerum, quæ ita se ha-  
bere debent; ut prorsus immutabiles sint; *Seçuræ*, quo di-  
sciplinæ in objecti hujus contemplatione acquiescere possint  
& debeant.

3. D. inter necessitatem aliquam absolutam, quæ ex  
natura rerum fluit: & hypotheticam, ex præsuppositione fi-  
nis ortam, seu propter finem, quem logica sibi habet propo-  
situs. Ita necessarium est, ut syllogismus in modo barbara  
colligat ex universalibus affirmativis, non ex natura rerum;  
non necessitate simplici, nemo enim nos cogit ad talis syllo-  
gismi constitutionem & formationem, sed necessitate hypo-  
thetica, præsupposito hoc hominū instituto, & fine præsup-  
posito. Sic necessarium est syllogismum dialecticum ex proba-  
bilibus procedere, propter finem, qui est parere opinionem.

4. D. inter scientiam, ad quam requiritur, ut per se ni-  
hil quærat, nisi ut subjecti sui affectiones ex causis demonstret,  
præterea vero nullum opus efficiendum ex ista cognitione in-  
tendat; sed in sola *Seçuræ* acquiescat: & conclusionem aliquā  
scientificam sive talem, in qua affectio aliqua per causam suam  
de subjecto probatur. Hæc etiam in disciplina esse potest, quæ  
scientia non est. Ita in Ethica rectè colligo: Quicunq; ince-  
dit secundum regulam virtutis, ille sibi acquirit summum Bo-  
num. Vir bonus hoc facit. Ergo.

5. D. inter Officium Physici, cuius est tres mentis o-  
perationes considerare: & Logici qui tres gradus secundarū

no-

notionum ē triplici illa mentis operatione resultantes & in proportione quadam illis respondentes, pertractat. Ex diversa hac operationum mentis consideratione videmus frustraneum esse quorundam conatum, qui logicam scientiam dici debere autumant, quod tres mentis operationes examinet.

## 2. Rationes.

Confirmaturi argumentis nostram Positionem, desumim⁹ Imum à negata scientiæ definitione. Cuicunque disciplinæ non competit scientiæ definitio, illa scientiam loco generis habere nequit. At logicæ &c. Ergo. Minor⁹ iterum robur quærendum erit. Notum autem alias est, quod natura scientiæ duobus potissimum absolvatur, imo ratione objecti ut versetur circa res necessarias, quæ per se semper sunt, & nunquā à voluntate nostra; sed à natura per certas causas operante dependent. Ast Logicæ hoc non competit, hæc enim in formandis notionibus secundis, quæ opus nostrum sunt, & non à natura; sed ab operatione mentis humanæ dependent, occupatur. Secundo ratione finis, qui est ut in objecti sui nuda contemplatione pedem figat. Verum longè aliud Logicæ est Ingenium. Est enim ex illarum disciplinarum classe, quæ etsi non semp̄ extra hominem, extra contemplationem tamen exeunt. Fabricat enim sciendi instrumenta ipsas notiones secundas, atq; ad illarūm operationem tota dirigitur.

II. Ab absurdo ex adversiorum hypothesi promanante. Si enim necessitas, quæ ex hypothesi finis est scientiam absolvit, omnium artium cum scientiis confusio introducitur. Nam in Architectonica similis ex fine presupposito emergit necessitas. Quod si enim extruenda domus comoda & utilis, necesse est eam ex tali vel tali materia fieri; necesse est ut habeat fundamentum, fenestras aliaque necessaria ædificii requisita. Quis vero Architectonicam scientiam esse dicet, nisi artes cum scientiis infelicissimā metamorphosi velit confundere?

B 3

III. Ab

III. Ab Autoritate Aristotelis lib. i. top. c. 9. tria problematum genera constituentis: Activa, speculativa & logica. Et de his dicit quod aliorum gratia addiscantur. Quibus sanè verbis expressè logicam scientiam esse refutat, ut pote quæ per se non addiscitur, neque utilitates in se habet terminatas.

### Opposito.

Est ipsius Scoti & scotistarum communiter Logicam scientiæ nomine salutari posse affirmantium. Conferat interim, qui plura de hac opinione nosse desiderat Clariss. Hornejum Instit. Log. Lib. i. qu. 3. p. 8. seqq. Scheibl. Introduct. Log. c. 1. qu. 1. p. iii. Dn. D. Dañhavv. in syll. canon. i. p. 1. Jac. Mart. Inst. Log. proœm. p. 10. D. Höpfner. prolegom. in Organ. p. 26. Regium in commentario Logico part. 1. problem. 2. pag. 7. Bartholin. Ian. Log. Ian. i. theor. 2. §. 29. Werenberg. Exercit. Log. theorem. 17. p. 47. Horstius Instit. Log. prolegom. p. m. 106. Colieg. Conimbr. prolegom. quæst. 1. Zabarella L. i. de nat. log. cap. 3. & seqq. In primis autem notanda hic sententia est ipsius Fonsecæ distingventis inter scientiam realem, & rationalem. Hanc logicam esse existimat. Verum enim vero, quis non videt, committi hic manifestam contradictionem in adjecto quam vocant. Quemadmodum qui ex eo, quod aliquis est homo mortuus, colligere vellet eum esse hominem, is efficaci ratione illum non esse hominem ostenderet: ut enim in illo adjecto, mortuus, contrarietas inest, quæ totam hominis naturam interimit, facitque solum hominis nomen æquivocum remanere; ita etiam de hoc adjecto rationalis dicendum est, inquit Zabarella cap. 3. lib. i. de Nat. Log.

### Positio III.

Logica per Artem definienda non est.

Expositio atque Dispositio.

per i. Distinctiones.

Ne in limine quod dicitur, erremus, & ambiguitas nobis imponat.

i. D. in-

1. D. inter Definitionem Artis Aristotelicam, quā definitur habitus cum recta ratione effectivus: & Ramisticam ubi notat comprehensionem præceptorum in vita utilium. Spuria hæc definitio artis est. In hac enim significatione acceptum vocabulum artis' nimis commune & remotum genus esset, naturam logices nullo modo declarans. Prior vero genuina & arti propria, notatque talem habitum, qui in rebus extra mentem, positis effectum aliquem corporeum producit, quomodo vocabulum Artis accipit Aristot. lib. 6. Ethic. c. 4. & alibi.

2. D. inter opus extēnum & internum. Illud pro fine habet ars: hoc aliorum quoque est habituum & tantum analogicè ita dicitur. Siquidem logica non ex materiatis rebus, sed ex conceptibus opus concinnare solet, idq; mentis ope, sine externo membrorum corporis adminículo. Per hoc ipsum ars à natura distinguitur, quia natura est principium operationis receptæ, in eo ipso in quo est. Ars vero est principium operationis in alio, quod de logica affirmari nequit.

3. D. inter vocem τοιεν̄ sumitam generaliter, qua omnes effectiones & proprietates denotare solet: & specialiter, quo in significatu notat productionem operis extēni, materiali, corporalis, in alio subiecto externo facti & post actionem in sensus incidentis.

4. D. inter actionem aliquam immanentem, quæ manet in subiecto, à quo excitatur, qualis est intellectio & volitio: & transeuntē quæ transit in aliam materiam. Hanc sibi appropriat natura artis, quando tendit ad opus aliquod extra intellectum in materia externa producendum. Priorem sibi vendicat logica, actione enim immanente in ipso animo operationem suam quamcunque efficit.

## 2. Rationes.

Pro sententiæ nostræ confirmatione adducimus argumentum desumptum.

Imo à definitione artis logica non conveniente. Nam Logica

gica non est habitus cum recta ratione effectivus. Non est habitus nempe principalis, qualem notat ars; sed instrumentalis, qui terminatur ad alterius utilitates. Neque est effectivus propriè, non enim ad productionem operis alicujus per se ordinatur.

II. Ab officio artis quod est versari in rebus certis; at Logica hoc non præstat, quia generales fabricat notiones, quæ omnibus rebus sunt communes. Omne Ens fieri potest subjectum, aut prædicatum; aut major, aut minor aut medius terminus. Verbo: *Qui per mare omnium scientiarum salvis navigare voluerit, nautam sibi logicam assumat, fidam ab erroribus custodiam, eleganter inquit desideratissimus noster Sperlingius, b. m. Meditat. in Scalig. 3. effat. 2.*

### Opposito.

I. Rami & Ramistarum est. Ita enim Ramus suam describit Dialecticam: Dialectica est ars bene differendi: Videatur Beurhusius in collatione Logicæ Philippi Melanchthonis cū Ramæa Lib. I. cap. I. p. m. 18. Argumenta ipsorum omnia ferme refutata sunt à B. Jac. Martin, in discuss. Ramist. cap. I. qu. 6. p. 44.

II. Scaligeri candidum Ramo calculum adjicientis. Unde hunc in modum logicam describit. Ars est Dialectica, non scientia, quia finis ejus opus est: instrumenta enim fabricat ad modos docendi, qui gemini, resolvens & componens. Quam definitionem ut limæ nostræ subjiciamus, non existimo necessarium esse; siquidem jam dudum eandem accuratissimè, pro more perstrinxit Philosophus noster, cui æternum bene sit B. & nunquam satis laudatus Sperlingius. Videatur Idem loc. cit. Conferatur etiam Zabarella L. I. de natura Log. c. 8. p. m. 15.

### Positio IV.

Ens & non Ens non est subjectum Logicæ.

Expositio atque Dispositio.

per 1. Distinctiones.

3.D.inter

1. D. inter subjectum prædicationis, quod est pars enunciationis prior, quæ significatio non est hujus loci: in hæfionis, cui aliquid tanquam adjunctum inhæret, sic intellectus est subjectum sapientiaæ habituumque omnium: & occupacionis, in quo aliqua disciplina occupatur. Postrema significatio hic attendenda venit.

2. D. inter subjectum considerationis, quod ita in aliqua disciplina consideratur, ut in ejus contemplatione ultimato acquiescamus: & operationis, in quod ars operari solet, quod subjectum operationis in arte arcularia est lignum, in hoc enim operatur arcularius, ut illi imprimat formam mensæ vel tabulæ. Tale subjectum operationis habet quoq; logica, ipsas res, in quas operatur imprimendo. iisdem aliquas formas artificiosas, notiones nempe secundas.

3. D. inter subjectum Metaphysicæ, quod est Ens, quatenus Ens est, hoc est, quatenus ab omnibus inferioribus praescissum est, atque abstractum, rationem habens quidditativam, attributa communissima, & rationes essendi minus abstractas: & subjectum logicæ quod est Ens omne, prout notionibus secundis illud est imbuedum.

4. D. inter Non Ens, quatenus tale est & manet, & ita eidem notiones secundæ imponi non possunt. Nam id quod simpliciter non est, etiam non potest formam aliquam accidentalem in se suscipere: & quatenus Entis veri rationem induit. Ita fieri potest, ut non Entia etiam notionibus secundis substantent. Sic Cerberus, campi Elysii, Purgatorium, Chimæra &c. subjecti vel prædicati loco in syllogismo stare omnino poslunt.

5. D. inter Ens rationis subjectivè tale, quod rationi tanquam subjecto inhæret, quo sensu omnes habitus, conceptus etiam formales, entia rationis dici merentur, quibus tamen Entis realis definitio revera competit: effectivè tale pro eo, quod rationi debet originem, quomodo omnia artificia & alia ab intellectu profecta, dici possunt Entia rationis, ut consultatio, meditatio, ratiocinatio &c. & objectivè tale. Hoc vero iterum dicitur esse vel realiter tale, quod præter esse

C

ob-

objectivum, quo ad intellectum refertur, etiam esse reale habet, & revera datur: ut cum contemplamur lunam aut Eclipsin, privatio hæc præter fictionem mentis verè datur: vel nudè tale, quod præter esse objectivum non habet esse reale, & hoc ita describitur: Ens rationis est, quod cum in se nihil sit, tamen à ratione fингitur. In præsenti Ens rationis juxta primam & secundam significationem non removemus; sed tantum juxta tertiam acceptum.

## 2. Rationes.

Duo circa hanc positionem nobis probanda sunt.

I. Objectum Logicæ non esse ipsum Ens quatenus tale, quod probamus hoc argumento: Quæcunque sententia introducit disciplinæ instrumentalis cum principali cōfusionem, illa admittenda non est. Sententia Ramistarum objectum logicæ Ens quatenus Ens statuentium ita se habet. Ergo. Minorem probbo, quia Ens quatenus Ens, absolvit objectum Metaphysicæ, quomodo igitur sine harum disciplinarum confusione de eodem quoque Logica participabit.

II. Non Ens non esse subjectum Logicæ. Ita colligimus. Quodcunque non est intelligibile per se, cuius nulla datur definitio, nullum genus, in quo etiam Logicus finem suum consequi nequit, illud non est subjectum logicæ. At de Non Ente verum est prius. E. & posterius. Minoris probationem quod concernit, probo eandem h. m. i. ratione membra primi, quod non Ens non sit intelligibile: Quodcunque plane non est, etiam intellectui ad intelligendum objici nequit. At non Ens plane non est. E. 2. rat. membra secundi. Cujus datur definitio illud debet esse genus vel species. Neutrum vero ex his est Non Ens, quare nulla ejus datur definitio. 3. rat. membra tertii, quia Logicus frustra in Non Ente veritatem querit. Manet igitur certum Non Ens logicæ subjectum esse non posse.

## Opposito.

I. Rami & Alieclarum ejus Ens & non Ens logicæ subjectum

jectum statuentium. Fundamenta quæ adductint ad amus-  
sim refutata sunt à B. Jac. Mart. Discuss. Ram. p. 63. seqq. We-  
renbergio in Exercit. log. p. 73. 151. & aliis.

II. Thomæ, Scoti, Avicennæ aliorumque Ens rationis  
objectum logicæ esse defendantium. V. Scheibl. Introd. Log.  
cap. i. disp. 3 seqq. Regius sect. i. probl. 3. Barth. Iahit. lan. i. Hor-  
nejus Inst. l. qu. 6. p. 15. Conimbricenses Proleg. in univer-  
sam Dialect. Arist. quæst. 2. p. 4.

### Positio V.

Benè differere non est finis logicæ

#### Expositio per

##### i. Distinctiones.

1. D. inter Logicæ officium, quod est ipsum efficere seu  
certa ratio efficiendi, consistens in his tribus : fabricatione  
simplicium, compositione & divisione & demum ipso discur-  
su; quemadmodum architecti officium artis architectonicæ  
esse dicitur: Inter opus, manens, post ipsam actionem, quod  
sunt omnia illa, quæ à logico efficiuntur, ut genus, species,  
subjectum, prædicatum, syllogismus &c: & finem externum,  
qui extra essentiam rei est. Invenire causas, effecta, aliaque  
argumenta & eadem ad judicandum conjungere, axiomate  
enunciare, syllogismo disponere ad officium logicæ perti-  
nent, finem vero neutiquam constituunt.

2. D. inter finem ultimum, in quo mens nostra ultima-  
tò acquiescit: & intermedium, qui demum in tendentia ad a-  
lium consistit. Ad benè differendum tanquam ad finem ul-  
timum in logicis non omnia referuntur: Acquisito enim hoc  
fine non acquiescimus; sed ad veritatem tanquam præfixum  
scopum toto, qnod dicitur, pectore contendimus.

3. D. inter finem logicæ internum, qui ex ipsa discipli-  
næ natura pendet, sine quo disciplina omnino manet imper-  
fecta, si eum non assequitur, de essentia enim artis est, ut do-  
mus de essentia artis architectonicæ: & externum, qui non  
imme-

immediatè; sed mediatè quodammodo ex habitu seu disciplina aliqua dependet, utpote qui effectus potius, quam finis rationem habet. Sic in Medicina finis internus est praescribere præcepta, quorum auxilio sanitas amissa recuperanda. Externus vero est ipsa sanitas recuperanda. Sine hac vero illa benè potest consistere. τὸ benè differere Logicæ neque finis internus neque externus.

4. D. inter finem logicæ adæquatum, qui æquè latè patet ac ipsa disciplina: & inadæquatum Dialecticæ solùm competentem. τὸ benè differere, si finis naturam habet, non adæquatus tamen logicæ finis erit, quippe soli topicæ, quam vulgo vocant, respondens. De adæquato vero fine in praesenti nobis disceptatio est.

## 2. Rationes.

Quod benè differere non sit finis logicæ ita probamus:

I. Quicquid tendit ad aliud finem non est finis logicæ ultimus. At τὸ benè differere tendit ad alium finem. Ergo Minorem probamus, quotusquisq; enim est, qui aliam ob causam benè differat, quam ob veritatis acquisitionem. Et postquam hanc consecutus est animus, ulterius non progreditur; sed eadem acquisita quiescit. Quemadmodum Medicus non utitur tantum medicamentis, ut ea modò adhibeat; sed ut iis adhibitis sanitatem restituat, vel conservet: ita etiam Logicus non utitur ejusmodi notionibus secundis, ut tantum differat; sed ut differendo veritatem in occulto latenter inveniat

II. Quicquid est artis officium non est ejus finis. τὸ benè differere, vel potius tradere modum benè differendi spectat ad officium logicæ. Ergo non est ejus finis. Major probatur, quia aliud est actio; aliud finis actionis. Opus ad finem spectat: unde Aristot. 3. de cœlo cap. 7. inquit artis effectivæ finem esse opus ipsum; sed ipsa effectio vel efficiendi modus est officium. Ita Pharmacopœ officium est præparare medicamenta; sed ipsa Medicamenta sunt finis & opus.

Oppo-

## *Oppositio*

Iterū est ipsius Rāmi, cui rō benē differere finē logicæ absolvit. Hinc in definitione logicæ hæc verba habet: Logica est ars benē differendi. Cōfer. Beurhusius in Petri Rāmi & Philippi Dialectice comparatione Lib. I. cap. I. pag. 18. Confirmationis lo-  
co ex Aristot. l. I. prior. analyt. quædam verba producunt, ubi  
tres logicæ facultatis partes constituit: Inventionem medii,  
compositionem, & collocationem syllogismi. Quæ ipsis  
nihil aliud sunt, quam benē differere, benē ratiocinari. Verū,  
Aristoteles agit ibidem non de ultimo fine, nempe veritate,  
propter quam syllogismi formatio instituitur; sed de fine in-  
terno scilicet syllogismo rite constituendo. V. Jac. Mart. Disc.  
Rām. Lib. I. cap. I. qu. 7. p. 58. Arnisæus in notis ad Log. Crellii.  
L. I part. comm. p. 10. seqq.

## *Positio VI. Et Ultima.*

Logica malè dividitur in Inventionem &  
Judicium.

Expositio per

I. Distinct.

1. Hic ante omnia distinguendum est inter partes uni-  
vocè ita dictas, quæ vocantur alias quantitativæ solis corpo-  
ribus convenientes: & analogicas, quæ per certam propor-  
tionem atque similitudinem prioribus respondent. Quando  
habitus mentis in partes dividuntur, non priores; sed po-  
steriores intelligendæ veniunt. Cum enim accidentia sint,  
quæ in indivisiibili consistunt, nullam admittunt divisionem;  
nde neq; Physica neq; Metaphysica in se & sua natura divi-  
onis recipiendæ capaces sunt, utpotè quibus partes propriæ  
dictæ non convenient.

2. D. inter Divisionem logicæ ab officio desumtam, qua-  
lis esse non debet: & à partibus ipsam essentiam constitu-  
tibus. Si ab officiis logicæ sumenda divisio ejus est, non tan-

C 3

sum

tum dux ; sed quatuor ipsius partes erunt : quatuor enim officia in ratiocinando concurrunt. 1. constituere formam syllogisticam 2. invenire argumenta ad rem confirmandam congrua 3. applicare formam syllogisticam materia 4. de illa judicare. Ergo & tot erunt partes, si juxta diversitatem officiorum logica dividenda est.

## 2. Rationes.

Ut Robur nostræ accedat Positioni ita argumentamur.

I. Quæcunque divisio multas totius partes in se non continet, illa vitiosa est. Divisio logicæ in Inventionem & Judicium talis est. Erg. Minorem probamus. Primo enim omittit materiam logicæ operationis ipsa prædicamenta, quæ tamen essentiale logicæ partem absolvunt. Cum enim syllogismus constet ex certis propositionibus, hæ vero ex suis partibus, quæ in serie prædicamentorum continentur, ideo de his omnibus ordine prius præcipiendū, quam ad medii inventionem accedamus. Deinde omittit structuram syllogismi formalem, & male eandem ad judicium confert. Communia semper specialibus debent præmitti. Ita communis forma alicujus artis concipi debet prius, quam ad hanc vel illam materiam accedatur. Quemadmodum tutor ad conficiendos calceos non accedit, nisi prius eorum suendorum edocet; ita etiam si materiam habeas, conclusionem & argumentum, quomodo in formam rediges, qui de ratione syllogismorum conficiendorum nequicquam didicisti. Ut alia iam sicco pede prætereramus.

II. Cujuscunque divisionis membra, in toto sibi contradistincta non sunt, illa approbanda haud est. Hæc ita se habet. Erg. Minor denuò probanda. Constat autem ex partibus illis, in quibus una per alteram ita diffusa est, ut pro distinctis logicæ partibus agnoscendi non possint. Inventio sanè absque judicio fieri non potest, quia illa argumentorum excogitatio requirit reflexum intellectus judicium super id, quod excogitasti, ut scias recte ne an secus excogitaris. Quid enim quæso est invenire annoꝝ inter multa di-

ta discernere & utile ab inutili , tanquam sursums à polline  
studio exactissimo separare. Hæc vero omnia nullus effe-  
ctum dabit, qui judicio non utetur limatulo atque politulo.

### Opposito.

Rami est & surculorum ipsi adhærentium , qui cōmu-  
niter pro hac ipsa Dialectices divisione tanquam pro Aris &  
focis defensionem suscipiunt. Plura de his ut addamus Char-  
tæ & temporis angustia non permittit. Confer interim B.  
Jac. Mart. in discuss. Ram. L. i. cap. 2. q. 2. Nos hic pedem fi-  
gimus & pro πατέρες τοις Spiritus Sancti supremo in cœlis

Numini laudes atque grates æternas per-  
solvimus.

**GLORIA IN EXCELSIS DEO!**

Ad

*Peregrinum & Doctissimum*

**DN. RESPONDENTEM ,**

Amicum & Conterraneum meum dilectum.

**Q**Vos serpentigenos neclit pro more Sophista  
Nodos, quas vè plicas stringit utraq; manu.

Pessima que Ramus struxit problemata falsi  
Hæc Te, Respondens, compleuisse juvant.

Macte Tuis studiis falsam confringere gentem.

Scena manet laudes, dulcis Amice, tuas.

Nam Pallas aliis veluti dat Præmia doctis  
Sic Parnassiaco Te quoq; fronde teget.

L.M.Q. scrib.

PRÆSES.

Pindarischer Zuruf

An

Seinen zu der Vernunft-Kunst weisenden Freind.

Hat

Sach.

**H**at es ie an elugen Stünen  
Hier aufs dieser Welt gefehlt /  
Die man nechst den Weisen seht /  
Und ihr treffliches beginnen /  
Fast den Sternen gleich geschäke  
Ja Sie selber hingeseht  
Wo man rühmt den Stagyrritten  
Und noch mehrer Künstler Sitten?  
Welche noch aufs dieser Welt  
Nicht nur die Natur uns zeigten  
Auch die Tugend zu uns neigten /  
Und die Wahrheit recht bestelt.

Gegensatz.

In dem Irrgang wie wir lesen  
Das ihn Dedalus gebaut /  
Und dem Wunderthier vertraut?  
Konte keiner ie genesen ;  
Als der Theseus dem sein Herz  
Zuverhütten Seelen-Schmerz  
Selber reichte Hand und Faden  
Zu entgehen ohne schaden.  
So zeigt uns Herr HAHN auch hier  
Einen FÄDEN / der uns leitet  
Ja der selber auch bestreitet /  
Aller Eigner Wunder-Thier.

Nachsatz.

Rechts so/so DV fortmehr wirst solche Faden weben

Webet Pallas schon

DJR zur Tugend-Ahn

Den Hutt/der DJC versetzt in ein Magister-Leben

Die Mäusen spinnen schon zu DEYNEM Ehren-Kleid

Mehen und sticken

Febus wird schicken

Den Ring den Er DJR schon versprach vor langer Zeit.

Johann Liebetanz / von Breslaw/  
der Medicin beflissener.

Madrigale.

**L**äßimmer fort die schon erhizten Glieder  
HERR HAHN in ihrem Laufse sein :  
Denn dieser Fleiß/und dieses dein beginnen/  
DJC röhmet hin und wieder.  
Es windet auch Frau FAMA einen Krankz/  
Zu sezen auff dein Haupt zum lohne /  
DJR die Verdiente Krohne.

Martin Guscke von Breslau aus Schlesien/  
der Rechten Ergebener.

• 08 + 00 •






Ung VI 73

**ULB Halle**  
004 108 515

3







38

U M LOGI

e & Di-

gicæ,

si Academia,  
xamini

CCIUS,

ahnn /

ri  
1659.



AKEN.